

Dissertatio medica inauguralis, de puerperarum febre : quam, ... pro gradu doctoris, ... / eruditorum examini subjicit Carolus Pennington.

Contributors

Pennington, Charles.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1795.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jg8w469g>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PUERPERARUM FEBRE,
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate dignissimi Vice-Cancellarii
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGI GLASG. PRAEFECTI;
NEC NON,
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
CAROLUS PENNINGTON, A. M.
ANGLUS,
Societ. Chirurg. Lond. necnon Soc. Reg. Med. Edin. Sod. Ord.
AD DIEM XXIX JUNII, HORA ET LOCO SOLITIS.

GLASGUAE,
EXCUDEBANT GULIELMUS REID ET SOCII.

MDCCXCV.

DISSERTATIO MEDICA

INACUTURALIS

DE FEBRE

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

PER AUGUSTINUM DE SMITH VICE-CHANCELLEREM

ARCHIEPISCOPUM DAVISON, B. D. T. P. P.

ET COLLEGII CLARE PRÆFECTUM

IN ACADEMIA

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET HONORABILIS FACULTATIS MEDICÆ DECRETIS

PRO GRADU DOCTORIS

CONFERRE IN MEDICINÆ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

EXIT AT LONDINÆ CONFERRE

✓ Subs.

UNIVERSITATIS CLARE

PROBATIONE REVERENDI

FRANCISCI THORNTON, A. M.

AMICI

IN ACADEMIA AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET HONORABILIS FACULTATIS MEDICÆ DECRETIS

IN ACADEMIA

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

PROBATIONE

REVERENDI FRANCISCI THORNTON, A. M.

AMICI

Reverendo admodum viro,

Fratri dilectissimo,

THOMAE PENNINGTON,

de Alfordia in Comitatu Lincolnienfi;

itemque

carissimo Amico,

JACOBO ROBINSON, Armigero,

de Papplewick, in Comitatu Nottinghamiae,

Hoc Tentamen Inaugurale

inscriptum voluit

AUCTOR.

Respectu admodum viro

Prædilectissimo

THOMAS LINNINGTON

in Comitatu Lincolnensi

incurat

Carissimo Amico

JACOBUS ROBINSON, Armiger

de Radcliffe in Comitatu Northamptoni

et in Curia Regia

in Curia Regia

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PUERPERARUM FEBRE.

PROVIDA natura, utrum haud sine molestia saepe ac dolore gerendi, et, tempore graviditatis justo elapso, cum dolore gravissimo et summo interdum vitae discrimine, pariendi munera, praestare sexum sequiorem, certa lege, obstrinxit. Quamvis autem puerperae pericula tam formidolosa effugerint, in morbos diversos incidere fiunt maximè proclives.

Hisce ex morbis, febre puerperium comitan-

te, nullus periculosior, aut saepiùs evadit lethalis. Multi quidem, conjuges carissimas malo tam funesto saepe sublatas, causâ justissimâ, moerere ac plorare; omnes autem, quorum mentes mortalia tangunt, stragem quam edit hic morbus, lugere coguntur. De hac febre, pauca, hac in dissertatione, in animo est mihi in lucem proferre.

DEFINITIO.

Brevi post partum, rarò die secundo citiùs, sextove feriùs, signa pyrexiae, dolor abdominis gravis, dolor circa frontem et supercilia, respiratio molesta aut difficilis.

HISTORIA MORBI:

Quoties hic morbus in Nosocomiis grassetur,
signis

signis magis certis minùsque variantibus stipatur, quàm quae morbum in domibus privatis saevientem notant. Morbi igitur historiam, sub priore forma, paucis enarrare conabor. Postea verò, quae diversa signa morbo privatim implicitis oriantur, faciliùs et accuratiùs demonstrari potest.

○ Ingruit hic morbus, cum horrore, quem comitatur vel sequitur dolor abdominis, pressu ingravescens, ac vomitio aliquando biliosa. Ab initio morbi, dolor gravissimus frontem et supercilia occupat, prosternuntur vires, vultusque prae se fert animum demissum. Pulsus arteriarum fiunt frequentiores, ac in plerisque exemplis, semper ferè debiliores. Brevi postquam invaserit morbus, respiratio fit molesta et difficilis. Morbo ineunte, urina plerumque redditur parca, atque alvus semper ferè est astricta. Fluxus lochiorum et lactis secretio parùm impediuntur. Sitis immodica urget. Molestia tam generalis aegrotam infestat, ut in lectulo se mo-

4 DE PUERPERARUM FEBRE.

vere vix valeat, et in dorsum faciliùs decumbat. Morbus talem cursum tenet, per diem unum alterumve, quo tempore, si ultro invaserit diarrhoea, ut saepe accidit, omnia ferè signa mitescunt.

Haec autem remissio, spatio duodecim horarum rariùs excedit, quum ingravescent signa supra memorata: et praeterea lactis secretio omnino impeditur, et fluxus lochiorum minuitur. Hoc cursu progreditur morbus, donec faeces subnigrae et foetidè olentes, insciente aegrotâ, dejiciuntur. Aegrota nunc subitam mutationem subit. Molestiis enim et inquietudine antea jactata, his omnibus vacat, et quiete gratissimâ frui videtur. Brevi autem postea extremae corporis partes frigescent, vires magis magisque prosternuntur, et mors inevitabilis, die quarto, quinto, vel sexto accedit.

In quibusdam exemplis, vis morbi et periculum, diarrhoea urgente, omnino evanescunt. Aliàs verò, copiosè erumpit sudor generalis, qui

qui signa omnia mitiora reddit. Sed hujusmodi exempla rariùs occurrunt: Pleraeque enim aegrotae in Nosocomiis decumbentes, atque hoc morbo correptae, de medio tolluntur.

Hoc modo plerumque progreditur hic morbus. Sed qualis sit morbi natura, intelligere, animum ad signa, quibus stipatur, attentiozem advertere oportet.

Quamvis hic morbus, die secundo vel tertio post partum plerumque invadat, quaedam inveniuntur exempla, in quibus, die quarto, quinto, sexto, etiamque duodecimo post partum accessit; nec defunt exempla ubi intra viginti quatuor post partum horas invasit. Nonnulli quidem, hunc morbum etiam partum praecessisse, vel parturientem corripuisse existimârunt: Pauci verò huic opinioni fidem praebuerunt.†

Horrores,

† Vide *Observations on Puerperal Fever* by Jos. CLARK, M. D. in Dr. Duncan's Med. Com. Decade 2. vol. 5. page 321. and *Treatise on Puerperal Fever* by NATH. HULME, M. D. page 88.

6 DE PUERPERARUM FEBRE.

Horrores, qui prima inter signa morbi venientis oriuntur, interdum graviores, aliàs verò leviores, vix ullum aegrotæ incommodum afferunt. Nausea et vomitio sæpe materiae subflavae, biliosae, hoc signum plerumque comitantur.

Dolor abdominis primùm manu parti admotâ tantum percipitur; sed paulatim ingravescent, evadit adeo acutus, ut stragulorum tegumentum tolerari nequeat. Hic dolor totum abdomen plerumque permeans, regionem autem, hypogastricam præcipuè occupans, motu nonnisi pressuve adhibito, rariùs est gravis vel acutus. Abdomen, morbo ineunte, molle, brevi post et per morbi decursum, semper ferè intumescit.

Per totum morbi decursum, pulsus artierum, sensu strictiore, sunt celeres. Arteriae enim celeriter micant, atque ictus circiter centum vel centum et triginta, minuto temporis, edunt. Pulsus verò earum, morte jam instante, sunt adeo frequentes, ut numerari nequeant.

Morbo

Morbo quidem accedente, in quibusdam exemplis, pulsus est plenus et validus, sed paulo post, morbi progressu, usque ad finem ejus infelicem, magis magisque debilis evadit.

Capitis dolor, qui frontem occupat, atque per morbi cursum manet fixus, rariùs est adeo acutus, ut aegrotata de eo unquam gravissimè conqueratur.

Vultus aspectum valdè mutatum praebet. Oculi subsidunt; rubescunt genae; partes circa nares et labia pallescunt; oris lineamenta collabuntur, et anxietatem magnam animumque demissum fatis demonstrant. Qui vultum hoc morbo laborantis semel observavit, quinam sit aspectus, semper in memoria tenebit.

Lingua, morbo accedente, plerumque est albidâ et humida, interdum autem arida cum lineâ rubrâ per medium percurrente. Morbo progrediente, arescit multùm, materiâ quâdam flavâ aut subfuscâ obducta. Sitis magis minusve
urget,

8 DE PUERPERARUM FEBRE.

urget, pro ratâ parte, ut linguae conditio varietur.

Cutis interdum quoad calorem naturalis, saepiùs praeter naturam calescit arefcitque. Sudores aliquando viscidi erumpunt, faciem, collum, et pectus solùm occupantes.

Lactis secretio et fluxus lochiorum diversis aegrotis multùm variantur. Saepissimè accidit, ut lactis secretio, per horas viginti quatuor primùm elapas, minimè labore: sed haud rarò, per morbi decursum, omninò impeditur. Quaedam aegrotae, ut perhibent nonnulli auctores, ab initio ferè morbi, infantes lactare noluerunt. † Quoties igitur aliquid tale acciderit, lactis secretionem esse imminutam, concludere fas fit. Fluxus lochiorum plerumque fit parcior: nulla autem experimenta adhuc instituta, *in putredinem tendere*, ut quidam volunt, satis demonstrant. ||

Respiratio,

† Vide *Pract. Eff.* by J. CLARKE, M. D. page 121.

|| Vide *Treatise on Lying-in-Women*, by MR. WHITE, page 16.

Respiratio, modo singulari laborans, nec stridula, nec solito citatior est. Aegrotâ, spiritum quasi dimidium trahere, vel quantum potest, cohibere conatur. Plenâ enim inspiratione, ex septo transverso viscera abdominalia premente, maxima oritur molestia. Haec quidem molestia, prout magis minùsve urgeant dolor abdominis et tussis quâ saepe stipatur morbus, fit gravior.

Alvus sub initium morbi semper ferè astricta, viginti quatuor, vel ad summum, triginta sex horis elapsis, sponte fluit. Faeces quoad colorem subfuscae, foetidè olent, materiâ quâdam limosâ vel spumosâ saepe obducuntur, ac brevi post dejectae fuerint, motum intestinum, substantiae cuidam effervescenti, similem exhibent. Sub finem morbi, faeces subnigrae, magis foetidè olentes, insciente aegrotâ, dejiciuntur. Si alvus ante mortem instantem, saepissimè fuerit ducta, intumescencia abdominis plerumque subfidit.

Morbo ineunte, urina solito parcius difficile redditur, alvo autem semel bisve ductâ, copiosius et facilius fluit. Quoad colorem varia est urina. Quum esset solito coloratior, hoc ex lochiis illi admixtis pendere, verisimile est. Urina quidem plerumque subfusca, materiam quandam ad fundum propè vasis quod continet, natans praebebat.

Ante finem hujus morbi infaustum, nec foribus, nec nigritiâ obducuntur dentes. Per totum morbi decursum nunquam adest delirium. Miserae aegrotae, ad extremum usque vitae momentum, mens manet sua.

Diarrhoea, saepissimè, interdum autem urina turbida copiosè reddita, vel sudores copiosi, eventum hujus morbi felicem instare praefagiunt.

Haec signa jam recensita ad hanc febrem in nosocomiis grassantem praecipuè spectant. In nosocomiis omnia hujus morbi signa multum sibi constant. Aliàs verò diversis aegrotis maximè

maximè diversa sunt signa. De his igitur postremis, pauca facere verba nunc erit necessè.

In quibusdam exemplis, morbi accessio, ad diem usque octavum, decimum vel duodecimum protrahitur. In aliis, brevi post partum invadit. Hujusmodi exemplum, in quo morbus intra duodecim post partum horas impetum faciebat, mihi quidem medicinam facienti occurrebat.

Hic morbus, ut fit in nosocomiis, haud semper cum rigoribus * ingruit. Diarrhoea enim, vel vomitus, vel dolor tantùm abdominis, pulsusque citatus, prima inter signa morbi incipientis saepe observantur. Quasdam etiam aegrotas, molestia tantùm generalis, lactandi aversatio et loquendi primùm infestant.

B 2 Morbo

* "It has hardly," says Dr. CLARKE, "occurred to me, to see a case in which the disease began with a shivering fit."

Vide Pract. Ess. page 120.

Morbo adveniente, pulsus arteriarum, per horas saepe plurimas, fit plenus durusque.

Progrediente morbo, aphthae interdum fauces occupant. Subsultus tendinum aliquando vexant; dentesque fordibus nigris obducuntur.

Morbus, de quo nunc agimus, cursum tenet longiorem, ad diem usque duodecimum vel decimum quartum plerumque perductus. Delirium vel coma, die morbi tertio quartove invadens, eventum hujus mali miserabilem interdum praecedit.

Quum ad finem felicem perduceret hic morbus, similem, quoad naturam, cum eo in nosocomiis grassante, terminationem, agnoscit. Indicia autem talis eventus proenuncia, nullo modo tam certa et perspicua sunt. In hoc morbo enim, vis ejus et signa lentè et paulatim mitescunt.

CADAVERA SECTA.

Quae, cadaveribus hoc morbo sublatorum incisis, oculis anatomicorum obversata sunt, ad ea nunc animum advertamus. Hic loci autem observare licet, quod quidem notatu est dignissimum, cadavera mortuarum, five in nosocomiis five privatim implicitae fuerint, eadem ferè indicia anatomico inspicienti praebere.

Quo tempore accedit mors, abdomen plerumque tumet; vel eodem tempore, urgente diarrhoeâ, omnino subsidit. Abdomine in priori casu inciso, aër putridus semper erumpit: Humor foetidus semper inter intestina cum particulis *materia albae caseae* circum ea natantibus, vel externae eorum superficiei adhaerentibus, repertus est. Haec albida materia, sine dubio, ex peritoneo, tum musculos abdominales investiente, tum intestina obtegente,

gente, exudat. Illa saltem pars peritonaei inflammatione nunquam non tentatur.

Semper inflammatur omentum. In quibusdam exemplis, fit laxum, et suppuratur: Aliàs verò gangraenâ laborat: quibusdam in locis, saepe crassescit; atque haud rarò, cum inferiore parte fundo uteri adhaerente, per medium laceratur.

Intestina adhaerescunt plerumque, veluti inter sese leviter conglutinata, aëreque haud rarò distenduntur. Levis quidem inflammatio externam eorum superficiem semper ferè tentat.

Ex cadaveribus a DR. HULME incisis, in uno tantùm exemplo *, uterus morbo laborare repertus est. In hoc quidem exemplo, uteri superficies nigritiâ afficiebatur. Haec autem uteri affectio, ex omento gangraenoso, visceribus abdominalibus inferiùs conglutinato, et peritoneo superiùs in superficiem uteri incumbente,

* *Vide Case 4th.*

bente, pendere videbatur. Quoad alia, uterus reperiebatur sanus. DR. HOME cadavera inspicienti, unum exemplum, ovarii sinistri duritie affecti et membranâ tenui, albidâ, ut accidit aliis visceribus inflammatis, obducti, in conspectum sese dedit. † Quae verò in hoc exemplo detexit hic medicus, aliis vix unquam adsunt.

In quatuor cadaveribus a DR. HULME inspectis pulmones conspiciebantur morbidi, ad inferiorem partem interdum nigrescentes, interdum livescentes.

Experimenta, in fluidum in cavo abdominis effusum, a DR. PEARSON medico ingenioso instituta, memoriae tradidit DR. CLARK. ‡ De hâc autem chymicâ analysi, utpote quae nihil utile medicinam facienti afferret, et hanc dissertationem ultra limites usitatos nimis traheret, plura facere verba, supervacaneum duco.

Talia

† Vide *Clinic. Exp.* page 77.

‡ Vide *Pract. Ess.* page 138.

16 DE PUERPERARUM FEBRE.

Talia sunt, quae, cadaveribus incisis, oculis praecipue obversata sunt. Sed praeter haec jam memorata, vesicula fellis distensione, ventriculus flatu, interdum laborat. Intestina quoque, faecibus subfuscis, foetidè olentibus saepe constipantur. De his autem fusiùs tractare ab re foret alienum. Unum, de hac re, tantùm adjiciam. Si aegrotata, intra dies post partum quatuordecim, morti conciderit, uteri superficies interna, subnigrum et gangraenosum praebet aspectum. Haec autem nigritia minimè habenda est gangraenosa. Hanc enim materiam ex uteri superficie detergere, et postea uterum ipsum sanum videre possumus. Fas sit igitur concludere, vasa, ex quibus proveniunt lochia, hanc materiam effundere. Hisce quoque ritè consideratis, ex quo fonte fluunt errores eorum, qui, uterum hoc morbo laborare, asseruerunt, facilè videre est.

DIAGNOSIS.

Quamvis autem in nosocomiis decumbentibus, et hoc morbo privatim laborantibus signa inter se sunt saepe diversa, tamen signa pyrexiae, dolor abdominis, dolor capitis juxta supercilia, respiratio difficilis aut molesta ex cupiditate spiritum cohibendi, vultusque demissus, quae faeminas hoc morbo privatim implicitas infestant, hujus febris *indicia certissima* habeantur, atque morbum omnibus aliis puerperium stipantibus fatis secernant.

Hisce indiciis haud ritè consideratis, quidam medicinam facientes, febrem puerperalem, a doloribus partum sequentibus, febre lacteâ et miliari, uteri inflammatione, passione Iliacâ, colica flatulenta, et cholera dignoscere vix poterunt.

CAUSAE REMOTAE.

Causae Praedisponentes.—Si faeminae parturientes molestiis et doloribus minùs gravibus, ut accidit brutis, plerisque animantibus, subiectae essent, quas tamen mutationes subit corpus graviditatis et parturiendi tempore, eae morbis affici proclive reddunt. Quum verò humani generis puerperae cum summa difficultate et maximo dolore parturiant, corpus, post partum, morbis fit valdè obnoxium.

Ab re omnino foret alienum, omnia quibus morbus puerperis inducatur, hac in dissertatione, enumerare. Licet tantùm observare, totum corpus, *genus nervosum* praesertim, et *viscera chylo elaborando dicata*, tempore graviditatis, tales subire mutationes, ut, brevi post partum, sanitate integrâ frui, non possit.

Genus nervosum, hoc tempore, levissimas quidem impressiones suscipit, *vasa abdominalia*,
mensibus

menſibus graviditatis praefertim ultimis, ad agendum maximè ſtimulantur, et *organa chylum elaborantia* vi tam adauctâ agunt, ut ex toto ferè alimento chylum nutritioni aptum conficiant.

Factu autem expulſo, hae functiones ita praeter naturam uctae non ampliùs neceſſariae ſunt. Sed verifimile non eſt, haec organa ad inſolitas actiones ſtatu graviditatis excitata, illico poſt partum ſolita munera praefare. Mutationes tam ſubitae rariffimè accidunt, et naturae legibus non conſtant.

Quamvis autem multa, quae puerperas huic malo faciunt obnoxias, explicatu difficillima ſunt, quin omnino pendeat a corporis conditione poſt partum peculiari haec ad morbum proclivitas, dubitari non poteſt. Similem enim morbum ex ullâ aliâ corporis conditione nunquam provenire ritè contendimus.

Cauſae Excitantes.—De cauſis febrem puerperalem excitantibus, varias et quidem contra-

rias opiniones in lucem ediderunt auctores medici. Hunc morbum nosocomia pervagantem æris conditio in cubiculis peculiaris concitare videtur. Rem ita sese habere, observationes medicorum satis comprobant. * Quæ in nosocomio Edinensi anno 1774 observata sunt, hanc sententiam probant magis et firmant. Hoc tempore, febris puerperalis in hoc nosocomio tam graviter saeviebat, ut omnes puerperæ hoc malo correptæ sunt, ac de medio sublatae sunt. Cubiculum parturientibus proprium, DOCTORE YOUNG jubente, claudebatur, et huic rei operam dando, æris conditio fiebat salutifera. Dies post quindecim, parturientes in eodem cubiculo exceptæ, nullum morbi tam gravis exemplum ediderunt. †

Haec febris igitur, non semper fortasse, sæpe verò sine dubio, in nosocomiis contagione locali

* Vide CLARKE's *Observat. in Comment. Med.* page 312.

† YOUNG *Praelect.*

cali pervulgatur. Talis autem contagio, a contagione humanâ, quae, ut mihi videtur, febrem puerperalem numquam inducit, maximè est diversa. In nosocomiis enim puerperis institutis, aegrotantes, quibusdam anni temporibus, hoc malo aliquando plectuntur: puerperae autem in lectulis sibi vicinis diversimodè afficiuntur.

Verisimillimum est, aërem huic contagioni faventem, similem revera agnoscere conditionem, cum ea aëris conditione, quae, in corporis superficie vulneratâ vel ejus actioni subjectâ inflammationem erysipelatofam efficit. Documentum, de hac re, certissimum ex DOCTORE YOUNG adducere licet: In cubiculo aegrotantium quorum cura chirurgis mandatur, quod cubiculo parturientibus dicato erat vicinum, ante quod tempus hæc febris in nosocomio Edinenfi accedebat, inflammationes erysipelatofae saevire caepêrunt. Hoc malum paulatim crescens, adeo ingravescebat, ut, febre nunc invadente, hujusmodi

jusmodi inflammationes, omnia etiam levissima vulnera occupabant.

Quae res privatim implicitas hoc morbo afficiunt, difficillimè explicantur. Haud quidem absimile est, multas, quae hanc febrem efficiunt, causas sub tenebris adhuc latere. Inter causas tamen, quae hoc malum concitant, annumeranda sunt, corpus frigori subiectum, animi affectus, diaeta inepta, et cubicula quibus decumbunt puerperae aëre frigidulo, puro minimè perflata. Lactis secretio quoque, subito suppressa, hunc fortasse morbum interdum concitare valeat.

Quidam, febrem puerperalem in urbibus, urbe praesertim Londinensi, epidemicè grassatam esse, existimârunt.* Hic autem morbus epidemicus a contagione peculiari pendere non videbatur. Idem auctor enim, morbos inflam-

matorios

* Vide CLARKE *Pract. Ess.*

matorios indolis erysipelatosae, eodem tempore, maximè saeviisse, nos facit certiores.†

Praeter has causas jam memoratas, aliae hunc morbum concitare existimantur; quales sunt, fluxus lochiorum suppressus,‡ uteri inflammatio,|| bilis secretio aucta,¶ fomitis putridi absorptio.†

Lochiorum autem fluxus, morbo ineunte, rarò supprimitur; uterus etiam, cadaveribus incisis, inflammatione tentari rariùs videtur; bilis secretio puerperis semper ferè augetur, quamvis rarissimè occurrat febris; nec ulla hujus febris absorptione putridi fomitis pervulgatae documenta adducuntur certissima.

CAUSA

† IBID. page 115.

‡ BOERHAAVE, SMELLIE, TISSOT.

|| Vide FELICIS PLATERI *Prax. Med. Tom. II.* cap. 13.

¶ Haec videtur esse DOCTORIS BUTTER opinio. Vide *De feb. puerp. Opus*, page 13.

† WHITE *loco citato*, page 24.

CAUSA PROXIMA.

Omnes sententias et conjecturas, de *causa febris puerperalis proxima*, ab auctoribus medicis traditas, hac in dissertatione, recitare nec licet nec oportet. Tres tantum opiniones, de hac re, attentionem nostram jure vindicare videntur; eorum scilicet opiniones, qui causam hujus morbi proximam *lactis metastasi*, vel *inflammationi peritonaei*, vel *causae typhi proximae similem* attribuere volunt.

1. Multi medici *Metastasin lactis* esse causam proximam opinati sunt. Praecipua, quibus hanc theoriam suffulciunt, argumenta, ex mammarum conditione, sub initium morbi, indiciis, quae, cadaveribus incisis, in conspectum veniunt, et signis aegrotae valetudinem recuperantis pendent.

Morbo accedente, mammae interdum fiunt flaccidae et relaxantur, atque lactis secretio impedita,

pedita brevi omnino cessat. Haec verò observatis haud semper constant. Lactis enim secretio, morbo ineunte, saepe est copiosa, quae per diem unum alterumve saltem perstat.* Praeterea autem, lac fluere cessans, morbi progressu, huic feбри nihil habet proprium. Idem enim, omnibus morbis puerperium comitantibus, semper ferè accidit.

Quae, cadaveribus inspectis, oculis obversata, hominibus ad hanc opinionem proferendam suadent, ea, ex fluido in cavo abdominis reposito lac vaccinum vel serum simulante, oriuntur. Haec autem fluida, quoad similitudinem tantum eadem, quoad chymicas qualitates, omnino sunt diversa. Porro, fluidum ei in abdomine hanc febre sublatarum omnia simile, in viris pneumonia sublatis repertum est, ubi lactis metastasis nullo modo locum habere potuit. †

Quo

* Vide LEAKE *Pract. Observat. on the Childbed fever*, &c. Editio 6ta. Vol. II. page 67.

† Vide MORGAGNI *de sed. et caus. Morb.* No. 47. Epist. 20.

Quo tempore convalescere caepit aegrotâ, lactis secretio restituitur. Ex hoc, quidam, argumentum ad opinionem suam firmandam deducunt. Hoc autem ad organa, valetudine recuperatâ, propriis muneribus perficiendis apta attribuendum est. Idem quoque, ut jam observavi, aliis accidit acutis morbis, quibus plectuntur puerperae.

2. HULME et LEAKE *inflammationem peritonaei, causam* hujus morbi esse *proximam*, existimarunt. † Cadavera secta peritoneum inflammatione tentatum fuisse satis comprobant.

Huic autem opinioni objicitur: 1mo. species, quas sectio cadaverum detegit, effectus potiùs, quàm causas morborum ostendere: 2do. in hoc morbo, febrem, signa inflammatoria plerumque praecedere: 3tio. pulsum arteriarum, inflammationem gravem rarò unquam indicare: 4to. aegrotam, sanguine missò, majore discrimine versari:

† Vide LEAKE, *loco citato*, page 83.—et HULME, *Treatise* page 161.

versari: 5to. hunc morbum futurum funestum citiùs terminari, quàm quum vexaret inflammatio, nonnisi gangraenâ urgente: postremo, inflammationem peritonaei signum haberi secundarium, quod ex actione cordis et arteriarum majorum adauctâ, ac vi arteriarum et venarum in abdomine minutarum imminutâ, oriri videtur.

Haec quidem argumenta jam tradita, tam rationi consentanea plerisque videntur, ut medici recentiores plurimi, theoriam, de qua nunc agimus, omnino rejiciunt.

3. Plures attamen, febrem puerperalem, *similem cum typho causam proximam* agnoscere, opinioni favent. DOCTOR WALSH, in sua, de hac re, dissertatione ingeniosâ, hanc opinionem probare et firmare strenuè conatus est. †

Argumenta, quibus nititur haec theoria
multa

† Vide WALSH *Pract. Observat. on the Puerper. fever*, page 15.

multa ac quidem verisimilia ad sequentia capita redigantur. Primo, primaria signa hujus febris ac typhi habentur eadem. 2do. Uterque morbus saepe, eodem tempore, epidemicè grassatur. 3tio. Eadem causae excitantes morbos utrosque efficiunt. Postremo, febris puerperalis habetur contagiosa, quae typhum iis hac contagione inquinatis concitat.

Primum quidem argumentum verisimillimum est. Prima signa typhum comitantia sunt, vis generis nervosi imminuta, vires prostratae, actio cordis et arteriarum abnormis, et organa chylo conficiendo sacra, suis muneribus malè fungentia†. Signa quoque his similia febrem puerperalem incipientem comitantur. Venit igitur considerandum, an haec signa sint primaria, aut unica, quibus stipatur febris puerperalis incipiens. Haec quidem signa, hâc febre incipiente,

† Vide *Observat. on the seat and causes of diseases illustrated by the Dissect. of MORGAGNI*, DR. HAMILTON, Jun. vol. 1. page 74.

incipiente, se primùm in conspectum praeberè, negari non potest. Sed patet manifestè, ut, eâdem ferie, haud semper sequantur, aliaque signa primaria interdum occurrant.

In febre typho, vis generis nervosi imminuta actionem cordis et arteriarum abnormem semper ferè praecedit. In febre autem puerperali, cor et arteriae actiones priùs edunt insolitas, quas indicat pulsus citatus, quàm genus nervosum ullo modo laborare videtur. Porro, dolor abdominis, jure magis quàm vis generis nervosi laesa, signa inter primaria habendus est.

Ex secundo argumento, quamvis esset magis veritati consentaneum, typhum ac febrem puerperalem unum eundemque esse morbum, nihil potest deduci. Morbi enim epidemici speciei diversae, eodem tempore, grassari observantur. †

Quum verò typhus et febris puerperalis iisdem

† Vide *Observ. on the Epidemic Diseases of Barbados*, by WM. HILLARY, M. D. p. 125.

dem causis excitantibus induci possent, fas sit concludere, ut quibusdam videtur, morbum utrumque similem agnoscere indolem, quamvis quodammodo varietur morbus, prout corporis conditio fuerit diversa.

Si autem observationes medicorum, frigus corpori admotum, diaetam ineptam, animique affectus, hanc febrem concitare doceant, vel causas similes typhum inducere, vel morbos esse omnino diversos, concedendum est. Ad opinionem, de hac re, posteriorem, utpote quae sit verisimilior, accedere magis fert animus.

Haec autem febris, ut perhibent quidam, contagione typhi pervulgatur.† De argumentis, quibus nititur haec sententia, maximè ambigatur. Facti sumus certiores, febrem puerperalem in quâdam domo brevi antea typho-implicitis supervenisse. Morbum autem utrumque eodem ferè tempore, grassari, res certè fortuita habenda est.

Praeterea,

† DR. WALSH, *Loco Citato*, p. 15.

Praeterea, quidam afferuerunt, febrem puerperalem in nosocomio, *Hotel Dieu* dicto, Parisiensi, semper excitari, quoties res contagioni pervulgandae favent. † Hoc autem a veritate abhorret. Quum enim cubicula, puerperis in eo nosocomio propria, cubiculis aegrotantium sub chirurgo, essent vicina, contagio cubicula chirurgica, eo tempore, pervagans, ex quâ oriri videbatur febris puerperalis, inflammationem erysipelatofam, nullo modo typhum, inducebat. †

Haec fortasse argumenta ad exempla in nosocomiis puerperis ex toto dicatis occurrentia spectare videantur. Faeminae enim, in hisce locis, aegrotis in cubiculis chirurgicis decumbentibus, saepe fiunt similes. Iis igitur opinionem proferentibus, febrem puerperalem, easdem causas ac typhum agnoscere, nequaquam convenire mihi liceat.

Aliud

† Vide WALSH—*Loco citato*.

† Vide PEU—*Paris* 1694.

Aliud argumentum adducunt hujus theoriae fautores, ex eo quod febris puerperalis contagione pervulgatur, et typhum aliis ac puerperis inducit. De hac re differens, DR. WALSH, afferuit, duas faeminas puerperis in nosocomio regio Edinenfi ministrantes synocho implicari. ‡ Rem ita sese habuisse, DR. YOUNG, in suis operibus manu scriptis a DR. HAMILTON servatis verbis definitis, negat. Ministras enim, ait hic medicus, febricula levi, lassitudinem quam susceperant, dum saeviebat in nosocomio febris puerperalis, excipiente, laborasse.

Sed praeterea, nulla unquam occurrunt exempla, in quibus rei medicae studiosi nosocomia puerperarum frequentantes, hac febre plectuntur. Quoad typhum, res aliter se habet. Multi enim cubicula typho laborantium ingredienti-
tes simili febre saepe corripuntur.

Argumenta quibus nititur haec theoria, esse
minimè

‡ Vide WALSH, *Loco jam citato*.

minimè valida ostendere jam conati sumus. Theoriam autem ipsam esse vanam, observata docent. Typhus enim puerperas interdum, signis, quibus insignitur febris puerperalis, omnibus absentibus, invadit.

Sequentes observationes a DR. CRARKE traditae, hanc rem probant et firmant. “ From
“ the 18th. December till the 23d. Jan-
“ uary, thirteen women were affected with
“ symptoms of general fever, without any ap-
“ pearance of local disorder in the abdomen.
“ All these continued beyond the usual period
“ of ephemeræ. Two of them only died, one
“ on the 8th. the other on the 17th. day
“ from the attack.”

DR. WALSH ipse, hoc accidere, concedit, et de hac re sequentia habet verba.† “ It will
“ perhaps be urged that the common infectious
“ fever often attacks in-lying women without
“ being

† Vide WALSH, *loco antea citato*, page 21.

“ being attended by the affection of the abdo-
 “ men, and the other symptoms characteristic
 “ of the puerperal disease. This I will readi-
 “ ly acknowledge, as having myself observed
 “ it more than once.” DR. HAMILTON, se
 hanc quoque rem observasse, auditoribus pro-
 dit.

Ex hisce igitur jam dictis ritè perpensis se-
 quitur, typhum puerperas invadentem, signa
 febris puerperalis inducere non posse. Si enim
 res se ita haberet, puerperae in typhum, sine
 alio morbo, nunquam inciderent.

Si vera sint, quae jam dixi, hujus febris cau-
 sa proxima, nec lactis metastasim, nec typhum
 agnoscit. Ad aliam, igitur de hac re, theoriam,
 vel ad peritonaei inflammationem, decurrendum
 est. Inflammationem peritonaei, hujus morbi
 esse causam proximam facilè quidem concedi-
 mus.

Qui huic opinioni fidem habuerunt, maximè
 quidem erraverunt, quippe qui signa diversa,
 diversas

diversas corporis conditiones, inflammatoria comitantia, haud fatis accuratè distinxerunt. Aliàs enim, ut mihi videtur, haec opinio vulgarior fuisset.

Diu fuit observatum, ut phaenomena inflammationis, quibusdam rebus interjectis, maximè varientur. Rem ita esse, omnes quidem medici uno ore consentiunt. Neminem latet, signa inflammatoria, prosperâ valetudine fruentibus, et debilitantibus vel morbo implicitis supervenientia, multùm fieri diversa.

De inflammatione fatis tractare, omnesque quibus signa ejus fiunt diversa, res, etiam enumerare, ultra fines hujusmodi dissertationi praescriptos nimis traheretur oratio. Licet tantùm observare, ullam corporis relaxati aut debilitati partem, inflammatione tentatam, vasorum actioni vi minore resistere, et dolorem ideo leviozem edere.

Hoc fortasse modo, rationem reddere possumus, quâ inflammatio reverâ priùs existit,

quàm ulla adfunt figna febrilia aut dolor, in Enteritide, quae provectiores aetate, quorum vafa laxa et debilia, partium vicinarum distentioni resistere minùs valent, infestat. Si autem, quae sequuntur, observationes veritati conveniant, quaedam figna communia Enteritidem et febrem puerperalem comitantur. Morgagnius, ex auctoritate Valsalvae, memoriae prodidit, duritiem, tensionem et levem dolorem abdominis, pulsum debilem, inaequalem, vultum ex oculorum furore et labiis livescentibus valdè mutatum, inflammationis intestinalis figna effe minimè incerta.

Ex naturâ cujusdam causae excitantis, ut mihi videtur, inflammatum peritonaeum non solùm effe hujus morbi causam proximam, hanc autem inflammationem erysipelati corpus debilitatum occupanti effe similem, probari potest. Quo enim tempore hic morbus cubacula puerperarum in nosocomio Edinenfi pervagatus fuerit, contagio similis erysipelatosam inflammationem

nem partibus corporis ulceratis induxisse videtur.

Mirum est quidem, omentum et peritoneum inflammatione laborare, quum uterus cujus vasa in superficie internâ sunt lacerata, morbo esset intactus. Res autem ita sese habet; nihil igitur, ex hac re, theoriae objici potest. Hoc quoque, primo aspectu, difficile, hoc modo, explicare possumus. Verisimile est quidem, uterum, post factum expulsus et sanguinis fluxum copiosum, valdè mutatum, in conditionem inflammatam minimè tendere. Sed parturiendo, et condicione vasorum per ultimos graviditatis menses, proclivitas ad inflammandum, peritoneo sine dubio inducitur. Natura autem, ut fluxui cuivis uterino accidit, ad fluxum humorum ex superficie corporis vulneratâ reficiendum, nihil providit. Vasa porro, in superficie vulneratâ, quo defectus humoris effusi reficiatur, vi agunt majore. Atque, hoc modo

modo, partes corporis vulneratae, in inflammationem incidere maximè fiunt proclives.

Nunc igitur, eâ animi, quâ decet, diffidentiâ, rogare volumus, utrum necne, signa morbum comitantia, causae excitantes, quae omnes inflammationem inducere valent, et cadavera secta, *proximam febris puerperalis causam esse in copore relaxato et debilitato peritonaei inflammationem*, probare tendant.

PROGNOSIS.

Quoties hic morbus nosocomia pervagatur, prognosis habenda est infauſta. Plurimae enim puerperae in nosocomiis decumbentes, atque hâc febre correptae, remediis etiam, quae medicina excultior proposuit et commendavit, ritè adhibitis, fato conciderunt.

Signis autem, quibus morbus ſtipatur, perpenſis,

penfis, quae bonum, quae malum indicant eventum, meliùs judicabunt medici.

Docet experientia, ut, quo citiùs post partum accedat morbus, et quo minùs conquerantur aegrotae, eo magis periclitantur. Ex abdomine magis minùsve tumente, de conditione et periculo aegrotae satis accuratè pronunciare possumus. Abdomen enim multùm tumens, spem salutis recuperandae fovere omnino vetat. Vibices carpos, manuum articulos et talos occupantes, mortem appropinquantem semper ferè praenunciant. †

Pulsus autem arteriarum, qui sit eventus, certissimè indicat. Quum enim perstaret pulsus per morbi decursum celer ac frequens, quantumvis alia se remiserint signa, haud abest periculum. Hunc morbum, ut supra dixi, esse solutum, praefagit diarrhoea copiosa, vel sudor generalis, vel urina turbida copiosè reddita. Sed pulsus, periculum abesse, et salutem instare

† DENMAN—on *Puerperal fever*, page 14.

stare pro signo certissimo solùm habendus est. Quum igitur, post tales excretiones, pulsus micarent validiores minusque celeres ac frequentes, eventum felicem sperare possumus.

METHODUS MEDENDI.

Quae in hoc morbo medendo indicantur, sub consilio triplice veniunt consideranda. Primo, *inflammationem minuere*. Secundo, *vires aegrotae reficere et sustinere*. Tertio, *signa molestissima reddere leviora*. De quibus autem modis hic morbus *arceatur*, paucis priùs differere, quàm hanc rem aggrediar, opus est.

Febris quidem puerperalis, quàm quidam auctores existimârunt, faciliùs praecavenda est. Quicquid enim, ut mihi videtur, ars humana ad hunc finem valet, ad functiones corporis naturales, per ultimos graviditatis menses, in conditione sanâ fervandas, atque causas inflammationem

flammationem in puerperis cientes praecavendas, spectat.

Diaeta tenuis, e vegetabili materiâ praecipuè conflata, et mitioris generis laxantia multùm efficiunt, ut functiones corporis omnes ritè perficiantur. Laxantia quidem medicamenta haec, tempore graviditatis, cum maximo beneficio adhibentur. Ratio quoque in promptu est. Tunc temporis enim pars cibi solida non solùm rejicitur; sed etiam transitus bilis solitus per canalem intestinalemp impeditur.

Ad alterum, de hac re, consilium perficiendum, multis praecavere necesse est. Puerperarum enim corpora morbis inflammatoriis maximè sunt opportuna. Modos usitatiores inflammationi sistendi, nemo ignorat. De his igitur, hac in dissertatione, nihil adjiciam. Unum autem minimè praetereundum est. In nosocomiis puerperarum, omnia praecaveri debent, quibus àër frigidulus in cubiculis excipiat, ac in iisdem agitetur.

Hisce igitur de *prophylaxi* praemissis, ad consilia medendi nunc animum advertamus.

1. *Primum consilium est inflammationem minuire.* Huic fini, morbo ineunte, *fotus* abdomini admotus cum pannis laneis ex decocto calido *florum chamaemeli* expressis, apprimè conveniunt. Fotus per horam saltem unam adhibendus est, et sextâ vel octavâ quâque horâ repetendus. Hujusmodi fotui, DR. FORSTER fidem habuit maximam. Afferuit quoque, fotum a seipso adhibitum effectus salutares semper edidisse. † Usus fovendi satis esse efficacem, DR. CLARKE, propriâ experientiâ firmavit, ‡ sed laudibus tam multis haud extulit. Quod si beneficium ex fovendo ullum speraveris, fotum primo morbi impetu ac diligentissimè adhiberi oportet.

Si

† Vide *Principles and Pract. of Midwifery*, by Edward Forster, M. D. page 303.

‡ Vide *Med. Comment.* Vol. 5. Decad. 2. page 323.

Si tempus fovendo aptum praeteriit, vel si, hoc remedio admoto, morbus adhuc ingravescat, *Epispastica* abdomini applicentur. DR. J. CLARKE epispasticorum usui objecit, utpote quae irritabilitatem, mirum in modum, adaugent, et pulsus citatiorem reddunt. † Quae verò observârunt alii medici fide spectabili, hanc rem minimè firman: hâc autem in regione, epispastica habentur remedia maximè efficacia et utilia. Quocunque modo epispastica agant, totam superficiem abdominis quae dolet, iis obduci oportet.

Cathartica—inflammationem multùm minuire tendunt. Optima ex his sunt *sales neutri*, qui glandulis intestinorum muciparis, non fibris eorum musculosis, stimulum praebent. Ex hac ratione, *Rheum* à quibusdam praeceptum ‡ rejiciendum est.

Emetica

† Vide *Pract. Ess.* page 160.

‡ Vide CLARKE *Pract. Ess.* page 164.

Emetica—ad consilium, de quo nunc agimus, efficiendum, a quibusdam multum laudantur. || Ad hunc finem, ut mihi videtur, minimè valent Emetica. Quamvis *Ipecacuanham* ad sedandum dolorem uterinum, et diaphoresin promovendam, parvulis dosibus, cum beneficio quodam esse adhibitam, ut credam facilè adducor.

Missio sanguinis—Huic remedio maximè fidentes, quidam auctores, sanguinis missionem, tum *generalem*, tum *topicam* praecipiunt. † Alii autem, qui hoc morbo laborantibus medicinam saepe fecerunt, omnes ejusmodi evacuationes esse nocivas putant. ‡ Nec ad hanc, nec ad illam, de hac re, opinionem totus accedere volo. Ratione enim conditioni aegrotæ priori et constitutioni, morbi tempori, anni tempestati,

|| Vide WALSH *loco citato*, page 40.

† LEAKE, vol. ii. page 99.—DENMAN, page 19.

‡ DR. JOS. CLARKE—DR. FORSTER—DR. JOAN. CLARKE—DR. HAMILTON.

tempestati, et morbi epidemici graffantis indoli, habitâ, sanguis saepe commodissimè mittatur.

II. *Consilium secundum est, vires aegrotæ sustinere.* Morbus, de quo agimus, typho hoc convenit. Si vires aegrotæ paucos per dies sustentari possint, morbus ultro ferè cessat. Maximi igitur est momenti, hoc consilium observare. Medicamenta autem idonea, tam viribus pollentia, ut tales edant effectus, et ventriculo sint grata, seligere, est difficile. *Pulvis Corticis Peruviani* e. g. dosibus satis largis administratus, nauscam concitat; cum *aromatis* sumptus, calorem auget; formâ *decocti vel infusi*, effectus vix sensibiles praestat. Hoc igitur remedium efficacissimum per anum administrandum est, *Ope Mucilaginis Amyli et Tincturae opii fiat enema quod.*

Intestinis antea purgatis, quartâ quâque horâ, injiciatur.

Vinum aquâ rite mixtum, satis larga quantitate, prout res postulent, sumat aegrota. Quod

si pulsus fiat citatior et corporis calor augeatur, nitrum, dosibus idoneis, praecipiat. *Vinum rubrum* aliis anteponendum est, nonnisi aliud diversum aegrotae sit gratissimum.

Cubiculum *frigidum* servatum, et aëre liberius excepto perflatum, ad aegrotae vires sustentandas multum confert.

Ex cibo animali optima sunt e *gelatina animali* praeparata. Sed etiam haec manu parcanda sunt. *Vegetabilia* igitur, qualia sunt, *Sago, Tapioca, &c.* praecipuam cibi partem constituent.

III. *Tertium consilium signa molestissima levare* tendit. Hoc quidem consilium in omnibus morbis locum habet. In hoc morbo, signa gravissimè urgentia sunt nausea, obstipatio, pervigilium, quibus *sedandis, Emetica mitiora, Laxantia, et Opiata* maximè profunt.

FINIS.